



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VII. Vtrum per Sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum
faciens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS VII.

Utrum per Sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens?

34.

Resp. affi.
Florent.
Trident.
Ad. 8. & 19.

AFFIRMAT, quod est definitum in Concil. Flor. decreto de Sacramentis & Trid. sess. 7. can. 6. 7. & 8. de Sacramentis in genere. & can. 2. de Confirmatione. patet etiam ex Scriptura Act. 8. & 19. ubi legitur quod ij. quibus manus imponebantur, recipiebant Spiritum S. qui non dicitur absolute dari nisi conferatur gratia gratum faciens. constat autem Confirmationem in Ecclesia conferri solitam, vel esse idem cum impositione manuum, de qua in Actis, vel illi successisse. idem docent Patres in superioribus citati.

Suo tempore
etiam conferitur gratia
præuenientes.

Notandum ex S. Th. responsione ad 3. ratione huius Sacramenti conferri etiam suo tempore varias gratias præuenientes ad liberam fidei professionem conducentes, ratione quarum gratia sacramentalis Confirmationis dici potest specie differre à gratia sacramentali baptismi.

DVBIUM I.

Utrum gratia per hoc Sacramentum collata sit maior quam ea qua confertur per baptismum?

35.

Sensus dubij.

QUÆSTIO intelligitur per se loquendo & ceteris paribus; certum enim videtur quod si quis cum remissa dispositione ad hoc Sacramentum accedat, qui accesserit ad baptismum cum excellenti dispositione, gratia collata ratione baptismi sit futura maior, propter dispositionem longè præstantiorem.

Duplex sententia.
Prior affirmat baptismum maiorem esse maiorem.
Scot.
Posterior contra.
D. Thom.
Vid.
Sotus.

Duplex est de præsentī questione sententia.

Prior asserit gratiam per baptismum collatam, ceteris paribus, esse maiorem. tenet Scotus dist. 7. quæst. 3.

Posterior censet esse maiorem eam quæ confertur per Confirmationem. insinuat D. Th. infra, art. 11. ad 3. dicens: *non propter digniorem partem, sed propter potiori effectum hæc unctio Episcopis reservatur.* tenet Vid. num. 47. Sotus dist. 7. quæst. vnica art. 7. 8. conclusio hæc, & plures recentiores.

Hæc sententia videtur probabilior.

Posterior defenditur.
Prob. 1. ex
Ad.

Probatur 1. in Actis Apostolorum dicitur peculiariter per hoc Sacramentum dari Spiritum S. qui non censetur eodē modo dari per baptismum; immo Act. 8. de baptizatis dicitur: *nondum enim in quemquam illorum venerat*, postea verò dicuntur per manus impositionem recepisse Spiritum S. quā antithesi videtur designari, quod abundantia quædam gratiæ concedatur per Confirmationem, quæ non ita conceditur per baptismum.

Dices per hæc posse designari varia dona Spiritus S. quæ eo tempore concedebantur, etiam sensibilibiter.

Resp. 1. ratione talium donorum nō posse absolute dici dari Spiritum S. vt passim Doctores. 2. non est verisimile eos omnes, quibus Apostoli manus imposuerunt, recepisse donum linguarum &c. 3. Scriptura narrans eos, quibus manus sunt impositæ, recepisse Spiritum sanctum, videtur indicare quod receperint aliquid spectans ad propriam

perfectiōem, & proinde non agit de dono linguarum.

Confir. ex eo quod Pontifices & Patres asserant per impositionem manus Episcoporum dari Spiritum S. quando cessabant dona linguarum, & colligunt Episcopos dare Spiritum S. quia Apostoli dabant Spiritum S. per impositionē manuum. volunt ergo & Episcopos conferre gratiam sanctificantem per Confirmationem, & Apostolos contulisse per manuum impositionem, eamque abundantem, quæ abundantia designatur per Spiritum S. qui peculiariter dicitur dari in Confirmatione. Adde donum linguarum non esse effectum per se huius Sacramenti: quando autem dicitur dari Spiritum S. per manuum impositionem, videtur intelligi quod datur tanquam id, ad quod Sacramentum per se ordinatur.

Spiritus
dicitur
collater
dari in C
firmatione.

Dices 2. Spiritum S. dari ratione Confirmationis, eo quod gratia quæ per Confirmationem conceditur, possit dici magna, si concipiatur coniuncta & accedere ad gratiam baptismi.

Resp. id dici nō posse, quia vñ Scripturæ & Patrum Spiritus S. non dicitur dari per matrimonium, extremam unctionem, eo modo quo datur per impositionem manuum, quod tamen iuxta illam explicationem deberet dici; ergo Scriptura vult aliquid singulare designare quando peculiariter dicit dari Spiritum S. per manus impositionem: nec potest commodè aliud designare quàm abundantiam gratiæ, quæ per Sacramentum concedatur.

Probatur 2. conclusio, constat Sacramentum Confirmationis esse dignius baptismo, vt indicat Melchias epist. ad Episcopos Hispaniæ, & suadet maior dignitas ordinarij ministris: cum ergo nō possit magis repeti quàm baptismus, videtur maiorem gratiam conferre, nam ceteris paribus Sacramentum dignius & excellentius videtur conferre maiorem gratiam.

Prob. 1. et
dignitate
Confirm.
Melchias.

3. Per baptismum aliquis solū constituitur membrum Ecclesiæ, per Confirmationem verò deputatur militiæ, & vt libere fidem profiteatur, qui finis est sublimior: igitur gratia illi fini proportionata ceteris paribus est dicenda maior.

Prob. 2. et
maiori no
bolitate fi
nis.

4. Homo per baptismum generatur spiritualiter, per Confirmationem verò perficitur, & fit plenè Christianus, vt loquuntur Patres, vnde chrisma vocatur à Dionysio vnguentum perficiens; quando autem id quod acquiritur est diuisibile, longè plus acquiritur per augmentum, quàm per primam augmenti, ergo verisimile est quod plus gratiæ quàm per concedatur per Confirmationem in qua confertur augmentum spirituale, quàm per baptismum.

Prob. 4.

Dices gratia baptismi est gratia regeneratiua per quam tribuitur primum esse spirituale.

Resp. id non ostendere quod gratia accedens homini iusto non possit esse maior quàm sit ea quæ confertur in prima iustificatione, si ergo ex alijs capitibus possit suaderi per Confirmationem maiorem gratiam conferri quàm per baptismum, id non erit negandum propter hoc argumentum.

Ex his colligi potest ceteris paribus per Confirmationem maiorem gratiam conferri, quàm per vllum aliud Sacramentum excepto Ordine, per quem aliquis constituitur dux in Ecclesia.

Constat.
Maiorem gra
tiam in hoc
quàm in
ceteris, ex
cepto Ordine.

DVBIUM

D V B I V M II.

Quenam dispositio requiratur ad gratiam huius Sacramenti obtinendam?

CVM hoc Sacramentum sit Sacramentum viuorum, & per se institutum ad conferendum augmentum gratiæ, constat per se loquendo, nullum posse ad illud accedere qui non uiuat uitâ spirituali animâ, & peccatorem, per se loquendo obligari ad contritionem peccatorum eliciendam; qui per accidens non peccabit, si accedat sine contritione, vel quia inuincibiliter non recordatur peccati sui, vel quia ignorat requiri contritionem, ut peccator accedens ad hoc Sacramentum illius effectum recipiat, vel quia bona fide existimat se contritum, cum re ipsa non sit, quo casu si saltem habeat attritionem supernaturalem de omnibus peccatis, recipiet effectum huius Sacramenti, ut diximus de Sacramentis viuorum in genere quæst. 62. art. 1. dub. 3. quod etiam insinuat D. Thom. hic responsione ad 2. ubi non vult peccatorem, qui non habet conscientiam peccati, consecraturum remissionem eiusdem peccati per hoc Sacramentum sine omni penitentia, quia requirit, ut is non fictus accedat; accedit autem fictus (fictioe negatiua) qui nullum habet dolorem etiam virtualem de peccato.

Aduerte contritionem saltem bonâ fide existimatam talem sufficere, neque ex præcepto prærequiri confessionem etiam respectu peccatoris, nisi in defectum contritionis. quod ergo dicitur in Romano Pontificali: *adulti debent prius confiteri, et postea confirmari*; solum continet directionem, non verò præceptum; sicut & id, quod citat S. Th. responsione ad 2. ex Concilio Aurelianensi & refertur can. *ut ieiuni*, de consecratione, dist. 5. quamuis talis canon iam in illis Aurelianensibus Concilijs non extet.

In iusto gratia habitualis est sufficiens dispositio ad augmentum gratiæ recipiendam per hoc Sacramentum, nec requiritur ut mēs actû moueatur & feratur in Deum dum recipitur Sacramentum, ut docent varij contra Caiet. hic.

ARTICVLVS VIII.

Utrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum?

AFFIRMAT. Probat congruentiâ, quemadmodum natura intendit corporalem reum perfectionem, multo magis Deus intendit perfectionem animæ & spirituale eius augmentum; igitur homo baptizatus & per baptismum spiritualiter natus potest conuenienter hoc Sacramentum recipere ad spirituale augmentum gratiæ consequendum, & proinde hoc Sacramentum potest omnibus exhiberi. adde & in omni ætate, ut inuit in fine corporis, & apertè tradit responsione ad 2. quia in ætate puerili potest aliquis consequi perfectionem spiritualis ætatis.

Hinc deduco 1. Sacramentum Confirmationis dari posse pueris ante usum rationis, si is nunquam expectetur. ita Henriquez lib. 3. cap. 5. num. 1. & insinuat S. Thom. responsione ad 4. immo olim dabatur etiam paruulis paulo post baptismum,

nam locutiones Patrum etiam de paruulis possunt intelligi, & peculiariter Innocent. 1. epist. 1. cap. 3. Hieron. dialogo aduersus Luciferianos num. 16. & 17.

Hoc tempore quando expectatur usus rationis solet differri vsque ad aliqualem saltem rationis usum 1. ut maiore reuerentia suscipiatur Sacramentum, 2. ut euitetur periculum iterationis, 3. ut puer possit per se aliquo modo fidem profiteri.

Aduerte tamen hanc consuetudinem non videri grauer obligare, cum in Romano Pontificali satis insinuetur etiam hoc tempore posse infantibus ministrari Sacramentum Confirmationis. videri potest §. *infantes per patros*. unde in locis remotioribus ad quæ raro Episcopi se conferunt, potest hoc Sacramentum absque vlllo peccato infantibus ministrari, immò licet nulla subest causa peculiaris, per se non est graue peccatum infantem confirmare, adhibenda tamen cautio, qua possit constare de Sacramento suscepto, ut euitetur periculum iterationis.

Deduco 2. posse etiam dari perpetuò amentibus, immò respectu illorum non subest causa differendi, cum non speretur usus rationis ut possint cum aliqua deuotione ad hoc Sacramentum accedere. potest etiam dari ijs qui, cum haberent usum rationis, bene vixerunt, licet non expressè petierint; quia per bonam vitam censentur interpretati uelle communia salutis media recipere. est contra Sorum dicta quæst. vnica art. 8. §. *enfermum autem*, qui tamen censet Sacramentum futurum validum; unde solum vult non licere dare.

Deduco 3. posse ministrari mox morituris. ita S. Th. responsione ad 4.

Dices 1. perpetuò amentes non sunt capaces peculiaris effectus huius Sacramenti. patet quia non possunt pugnare & fidem profiteri, similiter statim morituri non sunt pugnaturi.

Resp. neg. assumptum, quia finis huius Sacramenti non est sola pugna spiritualis, ad quam aliquis per gratiam huiusmodi instruitur, sed est etiam complementum hominis Christiani, ut patet ex Patribus citatis, qui censent hoc Sacramentum debere suscipi, ut quis sit perfectè & plenè Christianus. cum ergo perpetuò amentes sint capaces illius effectus, sequitur hoc Sacramentum posse illis licitè & vtiliter ministrari. quod etiam dico de mox morituro, cui licet Sacramentum non sit necessarium ad pugnam, ut Melchisedes episcopus ad Episcopos Hispaniæ, est tamen vtile ut perfectionem hominis Christiani consequatur.

Dices 2. si possit dari perpetuò amentibus & statim morituris, cur id passim negligitur cum magno illorum detrimento spirituali?

Resp. non dari, quia Episcopi propter varias occupationes non possunt ita ad morituros excurrere, nec commodè potest ea decentiâ, quâ par est, hoc Sacramentum eis ministrari. eadem est ratio amentium.

Cum iam ex consuetudine Ecclesiæ expectetur rationis usus ut hoc Sacramentum suscipiatur, queri potest quanam ætas sit expectanda? Aliqui censent annum duodecimum expectandum; sed melius plures asserunt elucescente rationis usu conferri posse, id est, sub annum septimum; quamuis, si differatur, nullum sit peccatum, cum, ut supra vidimus, hoc Sacramentum non sit necessitas. nec vera videtur sententia Sorii art. citato propositione 3. asserentis esse peccatum veniale reci-

Innoc. 1.
Hieron.

Iam solet differri vsque ad aliqualem rationis usum, ob tres rationes.

Hæc consuetudo non videtur grauer obligare.

Potest absque peccato conferri infantibus in locis, quod Episcopi raro se conferunt.
Coroll. 2.

Per bonam vitam censentur interpretati quis velle communia salutis media recipere.
Coroll. 3.
D. Thom. 38.
Obiectio 1.

Resp.

Melchised.

Obiectio 2.

Resp.

Ille censet rationis usum potest conferri.